

est relatio rationis, et consequenter quidditative de eo prædicatur, et sic simpliciter erit ens rationis, si quidem id quod est quidditative tale, est simpliciter tale: similiter entitative est ens reale quidditative, si quidem entitative pertinet ad genus suæ materiæ, quod est quid reale, et sic ut hæc est quidditative: Album est corpus ratione suæ materiæ, sic ista est quidditative: Sacramentum est ens reale ratione materiæ.

XXXVI. Respondetur negando quod hæc debeat absolute et simpliciter concedi: Sacramentum est ens rationis, sed solum cum addito, scilicet: Sacramentum pro formali est ens rationis. Licet enim quidditative sacramentaliter genus ejus sit ens rationis, sed non quidditative entitative, cum enim in genere entis non pertineat ad prædicamentum suæ formæ, sed suæ materiæ; neque entitative dicendum est ens rationis simpliciter, sed secundum quid, et cum addito. In genere autem entis non pertinet nisi secundum quid et cum addito ad genus entis rationis, quia forma artificialis in quantum artificialis, non pertinet ad rationem naturæ aut entis naturalis, imo ut sic non est in genere entis, sed est aliquid consecutum ad ens, sicut intelligibile aut cognoscibile; sic enim artificiale est aliquid descendens ab intelligibili, cum sit forma ab intellectu data et derivata. Est autem aliud genus entis, aliud cognoscibilis, ut notat Cajetanus 1 p. quæst. 1, art. III: unde non debet artefactum denominari ens ab eo quod est forma, sed a materia, præsertim quando pro forma habet aliquid morale, seu ens rationis; tunc enim debet simpliciter denominari ens a materia.

XXXVII. Itaque ex triplici capite non debet sacramentum denominari quidditative ens reale et ens rationis. Primo, quia in quocumque

concreto accidentali, non ex æquo includitur forma et subjectum; sed forma directe, et subjectum ex connotato et consequenter; nec ex æquo intrat quidditatem talis concreti id quod ad subjectum pertinet et quod ad formam, et sic non potest simpliciter quidditative dici utrumque, et sic album non est simpliciter substantia quidditative, sed ratione connotati. Secundo, quia ratio entis est ratio universalissima et transcendens, unde dicitur tam de concreto, quam de abstracto; et simpliciter dicitur de toto concreto, secundum id quod simpliciter in illo invenitur de ente; secundum quid autem tantum id quod minus principaliter et secundum quid includit: concretum autem supponit pro subjecto, et artefactum pro suo materiali. Unde cum hoc sit aliquid reale, ens dictum de illo in concreto debet etiam esse ens reale, alioquin non supponerent pro eodem: cum etiam in genere entis principale sit materia, et secundum quid artificialis forma, præsertim si quid morale est, consequenter ens quod simpliciter de illo dicitur, non debet esse ens rationis, sed ens reale. Et quia in prædicationibus non solum attenditur ad rem significatam, sed etiam ad modum significandi; si ex parte significandi importat ens reale, pro quo supponit ex parte modi significandi, non potest dici quod sit aliquid rationis absolute.

XXXVIII. Tertio: Quia licet artefactum sit concretum accidentale, tamen est differentia inter concretum accidentale secundum accidens naturale, aut secundum accidens artificiale; simpliciter enim sumitur quidditas et realitas, seu entitas in artificialibus ex parte materiæ, non in accidentibus naturalibus. Cujus ratio est, quia accidentalia concreta solum includunt subjectum ex parte modi significandi, et

quasi de connotato: ut enim dicunt metaphysici, abstractum et concretum accidentis solum differunt ex parte modi significandi, non ex parte formæ. In abstracto autem subjectum non importatur; solum ergo importatur in concreto ratione modi significandi. Unde concretum accidentale solum includit subjectum ut materiam in qua, seu materiam inhæSIONIS, non ut materiam ex qua, et ideo ex parte modi existendi seu inhærendi, non ex parte quidditatis absolute eam includit. At vero artefactum includit materiam, non solum ut concretum accidentale et ex parte modi essendi, sed ex quidditate sua et ordine intrinseco ad finem, quia artifex eligit materiam in ordine ad suum finem proportionatam. Unde non includit illam tamquam materiam in qua, seu inhæSIONIS, et quæ teneat se ex parte modi essendi, sed tamquam materiam ex qua construitur ipsum artefactum; et cum sit materia ex qua tamquam ens in actu, et non ut materia in potentia, inde est quod dicit totam substantiam rei; quæ est ratio Aristotelis et D. Thomæ ad probandum materiam esse puram potentiam. Videatur sanctus doctor, opusculo xv, capite vii, unde materia in artefactis includitur non solum ex modo significandi, sed ex parte quidditatis, et tamquam materia ex qua, et sic cum non sit sola pars, sed principalis ratio totius artefacti, ab illa simpliciter denominabitur in entitate sua, quod sit realis aut rationis.

XL. Addendum vero est pro artefactis rationis, quod ex vi propriæ rationis aliqua composita rationis includunt materiam, seu subjectum suum ut cognitum, quia solum dominant illud ut cognitum, sicut genus, species, et cætera intentionalia logica; alia quæ deno-

minant materiam non ut cognitam, sed ut in re, sicut relatio Domini aut creatoris in Deo, relatio judicis aut doctoris, aut pecuniæ, etc. Et ea quæ sunt primi generis, simpliciter dicuntur entia rationis, quia materiam includunt prout in cognitione, et non ut in re: quæ autem sunt secundi generis, dicuntur simpliciter entia realia, licet pro formali sint ens rationis, quia includunt materiam prout in re, et ens simpliciter dictum et sine restrictione, semper applicatur et cadit supra id quod principale est. Et ita sacramentum dicitur ens reale simpliciter, et non ens rationis; sed pro formali tantum. Quare quando dicitur, quod sacramentum quidditative est ens rationis, distinguitur; quidditative pro formali concedo; quidditative pro entitate simpliciter, nego. Et cum ex parte modi significandi importet ly sacramentum illud formale entis rationis prout in materia reali, et non prout in materia ut cognita; et ad prædicationes faciendas non solum attendatur ad res significatas absolute, sed ad modum quo significantur, inde est quod istud prædicans ens, dictum de sacramento, debet dici secundum rationem entis realis, et non rationis, quia entitative simpliciter non dicit ens rationis, sed pro formali; et ex parte modi significandi importat ens reale pro materia, sicut ly judex, ly cæcus, pecunia, etc.

QUOMODO SACRAMENTUM DICENDUM
SIT ENS RATIONIS?

XLI. Hinc patet ad illam replicationem: Sacramentum non est ens rationis absolute; ergo neque signum ad placitum absolute, si quidem signum ad placitum per se est ens rationis. Non valet hæc consequen-

tia, ob diversam appellationem in ly signum, aut in ly ens rationis; hoc enim propter suam universalitatem, de ly ens dicitur de subjecto ratione entitatis, et ideo falsam reddit propositionem. Primum vero, scilicet signum, non importat hanc universalitatem, nec dicitur ratione entitatis de subjecto, sed ratione sui formalis; sicut non valet: Animal non est ens rationis, ergo non est cæcum, quia cæcum est ens rationis. Item etiam: Ens rationis non est genus signi absolute, ergo non pro formali solum.

XLII. Quinto objicitur: Quod si genus sacramenti est relatio rationis, non potest differentia ejus esse aliquid reale. Videmus autem, quod differentia sacramenti in sacramentis novæ legis est esse effectivum et causativum gratiæ, quod aliquid reale est; ergo non potest pro genere habere aliquid quod sit relatio rationis.

XLIII. Respondetur de hoc argumento infra latius esse agendum, ubi inquiretur quomodo conveniat ratio signi, et ratio causæ in nostris sacramentis. Interim dicimus, quod esse causativum gratiæ, quantum ad id quod reale et physicum est, non est differentia essentialis sacramenti, quia ratio causativi pertinet ad rationem occultam sacramenti, non manifestativam, et ita non intrat quidditative id, quod est sacramentum tantum, quia hoc debet esse aliquid visibile et externum; significatio autem licet etiam sit occulta, est tamen manifestativa, id est, ratio qua sacramentum redditur manifestativum; virtus autem operativa non est manifesta, nec manifestativa, seu reddens sacramentum manifestativum. Unde in ratione sacramenti tantum, non est ejus differentia causare, sed taliter significare, scilicet, significare gratiam ut præsentem, et modo pra-

ctico et ut dandam per Christum, et per ejus instrumenta, quæ sunt ipsamet sacramenta; unde præsupponit ipsa sacramenta causare gratiam, non tamen causare pertinet ad differentiam constitutivam sacramenti, licet quasi præsuppositive dicatur ei essentielle esse hoc, quod est causare. Datur ergo alia differentia essentialis in sacramentis novæ legis secundum rationem sacramenti, scilicet significare taliter, scilicet gratiam præsentem dandam per passionem Christi, et per ipsamet sacramenta; non autem ipsum causare est differentia, licet possit dici quod pertinet ad sacramentum essentialiter quasi præsuppositive, supposito quod instituit non solum esse signa, sed causas gratiæ.

XLIV. Secundo dicitur, quod causare dupliciter potest sumi, uno modo pure et secundum se, et sic nullo modo est differentia essentialis sacramenti, de quo in præsentibus loquitur, sed pertinet ad alium modum analogorum ratione sacramenti, scilicet ad causam rei sacræ, sicut passio Christi Domini est sacramentum, quia est causativum rei sacræ: alio modo sumitur causativum non pure et absolute, sed sacramentaliter, id est, ut modo significativo et externo applicatur, et sic erit differentia essentialis, non ratione sui, sed ratione sacramentalitatis suæ.

XLV. Tertio dicitur, quod esse causativum gratiæ non est essenziale sacramento ut sacramentum est, sed ut instrumentum humanitatis Christi, et derivatum a passione ejus. Hoc autem connectitur cum sacramento, non ex vi et essentia sacramenti, sicut differentiæ connectuntur cum genere, sed ex institutione Christi Domini, qui legem evangelicam condidit; in qua sicut dicit S. Thomas 1-2, quæst.

cvi, art. 1 et 2, fit justificatio non ratione scripturæ, qua traditur lex; sed ratione Spiritus et gratiæ, quæ per illam datur, juxta quod dicit Apostolus ad Rom. 1: *Non erubesco evangelium; virtus enim Dei est*: unde oportuit quod sacramenta, quæ sunt fundamenta talis legis et columnæ ejus, non solum haberent signum exterius, sed Spiritum intus operantem gratiam. Hoc autem non habetur ex vi sacramenti, aut essentia sacramenti ut sic, sed ex vi sacramenti Christo conjuncti, et ab ejus passione derivati. In his autem quæ ex institutione alicujus pendent, non est attendendum ad rem genericam, quomodo in ea continentur differentiæ, aut connectantur cum illa, sed quomodo continentur et jungantur in institutione instituentis. Et ideo esse instrumentum gratiæ, et esse ejus signum junguntur per se in nostris sacramentis perseitate sacramentali, non physica aut metaphysica, id est, perseitate instituentis. Eo autem modo quo sacramentum est instrumentum, est causativum.

XLVI. Sexto arguitur: Quia si sacramentum est signum ad placitum, erit mutabile, sicut signum ad placitum potest deponi a sua significatione. Respondeo, esse mutabile respectu sui instituentis, qui est Deus, non respectu utentis illo, qui est Ecclesia.

XLVII. Septimo dices: Si sacramentum habet pro genere ens rationis, erit ens per accidens, et non erit definibile. Patet, quia constat ex ente reali et rationis; pro materiali enim est ens reale, pro formali habet esse ens rationis, et sic quidditative habebit esse ens rationis pro formali, et pro materiali ens reale, quod est esse ens per accidens. Item, quia cum ens rationis non habeat quidditatem, non erit

definibile, et sic de sacramento non dabitur definitio.

XLVIII. Respondeo non esse ens per accidens sacramentum sacramentaliter loquendo, sed physice et entitative; ut autem aliquid simpliciter dicatur ens per accidens, non sufficit quod entitative includat plura, sed quod non includat illa secundum ordinem ad aliquid unum. Quæ est doctrina S. Thomæ vii metaph. lect. xvii, diligenter notanda, ubi inquit, quod: « Compositum quandoque sortitur speciem ab aliquo uno, quod est vel forma, ut patet in corpore mixto; vel compositio, ut patet in domo; vel ordo, ut patet in syllaba et numero. Quandoque vero compositum sortitur speciem ab ipsa multitudine, ut patet in acervo et populo, et aliis hujusmodi; et in talibus totum compositum non est unum simpliciter, sed solum secundum quid. » Quapropter cum ens per accidens non sit ens simpliciter, sed secundum quid, dicendum est sacramentum non esse ens per accidens, quia sumit speciem suam ab aliquo uno, id est, ab una forma sacramentali, seu institutione: licet enim plura entitative includat, includit tamen illa ordinate et in ordine ad unum, a quo speciem sacramentalem sumit; et ideo simpliciter unum est, et non per accidens.

XLIX. Nec debet dici, quod fundamentaliter est plura, non vero formaliter; nam ut fundat relationem seu ordinem sacramentalem, uno modo fundat, quia secundum unam institutionem; et ideo simpliciter unum est etiam fundamentaliter. Negatur etiam non esse definibile sacramentum, licet sit ens rationis, quia ens rationis etiam definibile est, quando habet fundamentum; sic enim logica definit intentiones, et proprias earum passionis demonstrat. Quæ vero sunt

pure chimærica, illa non sunt definibilia, quia nec quidditatem habent, nec fundamentum ejus. Quæ vero quidditatem habent fundatam in re, et formaliter in ratione, definiiri possunt. Nec instari potest, quod etiam in genere significationis sacramentum est multiplex, et non habet unitatem, nam verba habent significationem et res etiam, et sic sunt plures significationes. Respondetur enim, quod in genere significationis quasi physice sunt plura, quasi sacramentaliter non nisi unum, quia utraque illa significatio facit unam significationem sacramentalem. Alia enim est institutio vocis ad significandum politice, alia ad significandum sacramentaliter.

DUBIUM TERTIUM.

AN SACRAMENTUM DEBEAT ESSE SIGNUM SACRUM ET SECRETUM?

Conclusio est affirmativa.

L. Pro cujus intelligentia est notandum, quod signum aliquod esse sacrum, potest sumi vel ex parte rei significatæ, vel ex parte rei significantis. Dicitur signum sacrum ex parte rei significatæ, quia id quod significatur per illud, sacrum est et sanctum. Et hoc modo nulli dubium est sacramentum esse signum sacrum, quia significat gratiam, Christum Dominum, et ejus passionem, quæ sacra sunt. Ex parte autem rei significantis dicitur signum sacrum, quia res illa quæ significat rem sacram, etiam in se est quid sacrum et religiosum. Et sic etiam sacramentum est signum sacrum, quia est signum religiosum, et ritum ac cæremoniam religiosam includens. Unde S. Thomas

1-2, quæst. ci, art. iv, dicit quod: « Cæremoniæ veteris legis recte dividuntur in sacrificia, sacramenta et observantias; » et sic sacramenta sunt cæremoniæ quædam ac ritus religiosi; et consequenter sunt quid sacrum ex parte ipsius signi, seu rei significantis; sicut etiam sacrificium aliquid sacrum et religiosum est ex parte signi externi et visibilis. Item etiam, quia sacramenta in hoc distinguuntur a sacrificio, quod sacrificium ordinatur ad exhibendum Deo cultum, sacramentum vero ad disponendum cultores ipsos, ut tradit D. Thomas 1-2, quæst. cii, articulo v; ergo sacramentum debet ex parte signi seu rei significantis esse quid sacrum et religiosum, si quidem est illud, quo quis sacratur, seu initiatur et protestatur aliquam religionem.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

LI. Sed objicies primo: Nam si sacramentum est signum sacrum, non solum ex parte rei significatæ, sed ex parte rei significantis: ergo jam sacramentum non solum dicitur sacramentum, quia signum; sed quia habens in se aliquid sacrum, seu quia est in se aliquid sacrum, et sic duplici modo dicitur analogatum de ly sacramentum.

LII. Respondetur primo, quod sacramentum ex parte rei significantis dicitur esse signum sacrum, sed non occultum, sed externum ac manifestum, tamquam visibilis quædam cæremonia ac ritus externus; et ita ex ea parte non dicitur sacramentum, quasi sacrum secretum, seu habens in se sacrum secretum. Secundo respondetur, quod sacramentum est sacrum ex parte rei significantis, tamquam ritus et cæremonia seu signum, non tamquam res; et ideo non dicitur habens sa-

crum secretum, sed significans, religiose tamen et modo sacro; et quia modus iste sacer et religiosus non est in ipso ut in forma sacra, sed ut in signo rei sacræ, ideo non extrahit ipsum ab analogato, quod est signum.

LIII. Secundo objicies: Nam si sacramentum est quid sacrum ex parte rei significantis; ergo pertinet ad virtutem religionis, et non ad genus signi; genus enim signi est longe diversum a genere religionis, cum illius genus sit relatio, istius vero qualitas. Consequentia autem probatur, quoniam in tantum est sacramentum quid sacrum ex parte rei significantis, in quantum est actio quædam religiosa, et religioso ritu facta; actiones autem alicujus virtutis sunt in eadem specie cum ipsa virtute: ergo sacramentum in quantum quid sacrum pertinet ad virtutem religionis, et non ad genus signi.

LIV. Magister Nugno dubio primo concedit sequelam, nec inconvenit, quod materialiter loquendo sacramentum sit in genere religionis, et formaliter in genere signi, nam secundum diversas considerationes pertinet res aliqua ad diversa prædicamenta, et ita sacramentum, verbi gratia baptismus, si consideretur in quantum actio, pertinet ad prædicamentum actionis; in quantum ordinatur ad significandam gratiam, est in genere signi; ut ordinatur ad cultum divinum, in specie virtutis religionis. Non est autem inconveniens, quod aliquid secundum diversas rationes pertineat ad diversa genera. Responderi etiam potest, quod sacramentum, cum sit cæremonia externa, non pertinet ad religionem quasi formaliter, sed quasi objective, et materia circa quam externa; et ideo non debet poni in genere religionis, sed in genere signi, licet ipse usus sa-

cramenti, quo quis exercet illud aut suscipit, religiosa actio esse debeat.

LV. Tertio oppones: Nam sacramento nec convenit esse quid sacrum ex parte rei significantis accidentaliter, neque essentialiter, ergo nullo modo. Non essentialiter; quia ad essentiam sacramenti solum pertinet significatio, seu ratio signi, quod est genus et differentia talis signi: ratio autem ritus, aut cæremoniæ sacræ non pertinet ad genus aut differentiam hujus signi, ergo non convenit ei essentialiter. Non accidentaliter, quia sacramento non est accidentale ordinari ad cultum Dei, quatenus disponit cultores ejus, et per ipsum fit protestatio et initiatio religionis: sicut sacrificio non est accidentale esse ordinatum ad cultum Dei: ergo non convenit ei accidentaliter, si quidem per se et intrinsece ad hoc ordinatur.

LVI. Respondetur verum quidem esse, quod hoc non sit genus sacramenti, cum non sit signum, neque differentia sacramenti, cum omnibus differentiis conveniat: sed est conditio quædam per se annexa et requisita in sacramento in communi tenens se ex parte materiæ sacramenti, quia videlicet debet imponi et institui in signum rei sacræ id quod sacrum est et religiosum, seu quod per modum cæremoniæ et ritus sacri exhibetur: et id necessario comitatur omne sacramentum, quia sacramentum est signum protestativum rei sacræ, et religionis iniciativum et sacrativum: et ideo tali modo debet institui, quo aliquis externo ac publico ritu initiatur et protestetur talem religionem: et ideo exigit significatio illa habere pro materia id quod est sacrum et religiosum: sicut securis ut scindat requirit materiam duram et compactam, licet ducities non sit ratio scindendi, sed acuties, in materie tamen dura, et non in alia.

LVII. Quarto obicitur de matrimonio, quod est verum sacramentum, et tamen non est cæremonia sacra, sed contractus naturalis, subditus legibus reipublicæ, ergo. Minor probatur, nam matrimonio in lege nova solum est addita significatio sacramentalis, non vero aliquis ritus, aut cæremonia sacra: sed quomodocumque fiat ille contractus civilis redditur matrimonium: ergo non est ex parte rei significantis, seu materiæ cæremonia sacra.

LVIII. Confirmatur in eucharistia, quæ est sacramentum permanens, et consequenter habet pro materia aliquid permanens; ergo non aliquam actionem, et consequenter neque cæremoniam aut ritum, quia hæc necessario debet esse aliqua actio.

LIX. Confirmatur secundo, nam in lege naturæ erant vera sacramenta, et tamen in ea non erat materia sacramentorum determinata a Deo, sed per reipublicæ ordinationem, ut infra dicitur articulo sexto; ergo non erant illa sacramenta cæremonia sacra, nec aliquid sacrum ex parte rei significantis, sed aliquid subditum ordinationi reipublicæ.

LX. Respondetur matrimonium dupliciter considerari: uno modo ut est contractus ordinatus ad faciendum conjuges secundum rationem politici et naturalis contractus, et officium naturæ: alio, ut est contractus ad faciendos conjuges sanctos, et repræsentantes conjunctionem Ecclesiæ et Christi. Primo modo non est cæremonia sacra; secundo vero modo est sacer ritus: et ideo a Christo Domino institutus est iste contractus, non solum ut significaret rem sacram, sed ut significaret tamquam cæremonia sacra.

LXI. Ad confirmationem respondetur eucharistiam esse sacramen-

tum per modum cibi, qui ordinatur ad sumptionem, et fit per consecrationem. Unde licet per modum permanentis non habeat aliquam cæremoniam aut ritum, habet tamen illum in sui consecratione et sumptione; ac proinde eucharistia ut consecrata retinet rationem cæremonia, non pro sui permanentia, sed pro sui consecratione et sumptione.

LXII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod sacramenta legis naturæ erant determinatæ materiæ a reipublicæ institutione; quia tamen materiæ illi quam designabat respublica, conferebatur a Deo significatio sacra, consequenter etiam fiebat ipsa materia et cæremonia, quæ a republica instituebatur quid sacrum ac religiosum et religiose tractandum.

LXIII. Quinto obicitur: Ratio cæremonia seu ritus sacri vel consistit in ratione signi religiosi, vel in ratione actionis religiosæ: si in ratione signi religiosi, est ipsa formaliter essentia sacramenti, quæ consistit in ratione signi sacri, ac proinde religiosi: et sic falso dicitur, id solum materialiter pertinere ad rationem sacramenti, et non formaliter, si quidem formalissima ratio sacramenti est signum sacrum. Si vero consistit in actione religiosa, non omni sacramento conveniet in communi, si quidem non omne sacramentum in actione consistit, nec habet actionem pro materia. Et deinde, quia cum actio non pertineat ad essentiam sacramenti, sine tali actione seu cæremonia salvabitur essentia sacramenti, et erit sacramentum.

LXIV. Respondetur rationem cæremonia, ut constat ex D. Thoma 1-2, quæst. xcix, art. iii et iv, consistere in aliquo exteriori opere, ut est professio servitutis Dei, et specialis determinatio cultus ejus; et ideo

præcepta cæremonialia determinativa cultus secundum tales vel tales hostias aut munera, et tales similitudines distinguuntur a moralibus illis, quæ respiciunt ipsum cultum, seu colere Deum absolute. Quare pro materiali cæremonia dicit actionem seu opus externum; pro formali vero significationem, seu similitudinem aliquam, quæ exprimat professionem servitutis divinæ, et determinet specialiter cultum Dei, secundum has vel illas similitudines aut significationes; sacramenta autem omnia aliquod externum opus petunt, sive formaliter, quia in usu consistunt; sive virtualiter, quia consecrativa actione fiunt, et ad actionem etiam ordinantur. Habent etiam significationem et determinationem cultus Dei secundum similitudines et significationes peculiare, et ita habent rationem cæremonia, quæ comitatur omne sacramentum, ratione tamen materialis, quod est actio et opus externum.

LXV. Quod vero secretum signum sit sacramentum, constat clare, quia sacramentum principaliter dicitur sacrum, seu sanctum occultum; ergo sacramentum, quod est signum, debet esse occultum, et significare occulte. Unde illud proprie dicitur sacramentum, quod non debet omnibus aperiri et notum esse, nec significatio ejus esse cuilibet pervia, sed quasi clausa et abscondita. Neque est hoc contra rationem signi, de cujus ratione est quod sit manifestativum rei significatæ, et consequenter non debet celare et abscondere illam. Dicimus enim, quod de ratione signi est quod sit manifestativum, non tamen quod significatio ejus sit omnibus manifestata, sed quod cognoscentibus significationem suam sit manifestativum; sicut lingua Græca nescienti significationem, potius celat significationem quam manifestat, et ta-

men signum est. Et ænigma signum est rei significatæ, occultum tamen, quia nescitur ejus significatio. Est hoc ideo est, quia sacramentum non solum est signum, sed signaculum; nec solum constat verbis, sed rebus; nec solum est speculativum et ordinatum ad cognitionem, sed practicum et ordinatum ad opus. Unde oportet, quod habeat significationem reconditam, et quod sit occultum, et non omnibus manifestum significatum ejus.

DUBIUM QUARTUM.

AN SIT DE RATIONE SACRAMENTI IN COMMUNI QUOD SIT CAUSA REALIS ALICUJUS SANCTITATIS.

Conclusio est negativa, contra Suarez disp. I, sect. II.

LXVI. Et pro ejus intelligentia est notandum, quod sanctificatio potest sumi proprie pro sanctificatione interiori, sive fiat per infusionem gratiæ, quæ est sanctitas perfecta; sive per remissionem venialium, seu pro sanctitate, quæ consistit et fit per denominationem intrinsecam alicujus formæ: vel potest sumi sanctificatio improprie pro deputatione ad aliquod sacrum, aut pro habilitatione in aliqua irregularitate, seu inhabilitate, quod fit per denominationem extrinsecam. Secundo etiam notandum est, quod sacramentum esse causam sanctificationis potest dupliciter intelligi. Primo, ex ratione et vi sacramenti, seu ex vi institutionis suæ: secundo, veluti ab extrinseco, seu ratione operantis, in quantum per virtutem religionis imperatæ a charitate utitur tali sacramento, et meretur per illud sanctificationem aliquam.

LXVII. Igitur de ratione sacramenti